

Petrus de Vinea

*Ep. IV 8 (Sedentibus super aquas
amaritudinis et in salicibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 8 (Sedentibus super aquas
amaritudinis et in salicibus...)*

ante 1249

Eisdem, de eodem, facta mentione de quodam alio magistro premortuo.

Sedentibus super aquas amaritudinis et in salicibus organa suspendentibus, Neapolitani Studii doctoribus uniuersis, magister Petrus de Vineis solamen sancti spiritus et illam, quae omnem sensum exuberat, pacem Domini nostri Iesu Christi. 1. De seculo nequam et ualle miseriae ad scholas florentis patriae, ubi garrulitatis improbae nullus auditur tumultus, Illius uocatione, cuius imperium in celo et in terris et in omnibus extenditur creaturis, gramaticorum eximius consocius noster et frater, magister G. nouiter euocatus, ab oculis nostris uelut umbra pertransiit, immo euanuit, ad cuius transitum studii Parthenopensis obscuratus est sol, et luna euersa est in eclipsim. 2. Nam ars gramaticae, quae sine uocabulo designatur, priuata decoris radiis, sedet in tenebris, et habet unde possit suum reiterare dolorem, duobus maritis tam modico tempore uiduata. Nondum precedentis doloris sanata sunt uulnera, et sic calamitati calamitas, et tempestas adicitur tempestati, dolor doloribus et uulneribus uulnera inferuntur. 3. Mirum non modicum, hic est ordo preposterus et turbatus, quia naturaliter preponitur magister discipulo, hic autem magister est discipulum subsequutus: et hoc ideo quia mortis irregularitas, de suo more peruersa, peruertit ordinem, quae forent preponenda postponens, preponit econtrario postponenda. 4. Proh dolor, uitis frondosa, quae subito aruit, cuius fructus exuberabat ad plenum. Nam in multitudine filiorum, quos genuit, indefessus ille uterus magistralis intumuit, preualuit et tamquam cedrus Libani superexcreuit, cui non sunt adequatae uirgulae de deserto. 5. Ipse quidem fuit alter

Ioseph, cui omnes inuiderunt parentes, quem seua bestia deuorauit, uidelicet mors, quae per auferesim, quae cunctis aufert mortalibus caput a membris, diuidit et recidit. 6. In cuius decisione uos, qui floretis in cathedris, tamquam multorum capita plena oculis retro respicite, et ante diligenter attendite quantum tenuis et fragilis gloria singularis, quae quidem uapor ad modicum durans, uelut fenum agri, quod mane floret, et uespere decedit et arescit. 7. Ad tutelam agri per illam syncopam, a qua nullus gramaticus excusatur, statum et transitum reciprocantes in uobis, unum efficax per locum a simili in uobis colligite argumentum: similiter illud iter currere, quod vester socius precucurrit.